

tulerit; unde quisque Divina Providentia fa-
ctum fatebitur, ut ea Urbs quæ primos sævitiae
ac furoris impetus toties sustinuit, numquam vi-
ribus cesserit, quo secundioribus rebus servata
Romanam fortunam redintegraret: ex quo unico
argumento maxima Mediolani laus; imò potius
ex repetitis cladibus quæ fuerint olim Majorum
vestrorum vires manifesto appareat, postquam tot
celebratissimas Civitates uno ictu eversas in are-
na querimus; vestram vero toties à fundamen-
tis avulsam, divino beneficio è suis ruderibus re-
natam, in hanc, quæ nunc est magnitudinem &
splendorem venisse Itali omnes lætamur, ac ferme
præteritis infortuniis superbimus, non secus ac
illata robusto corpori vulnera miles emeritus ostен-
taverit.

Quod si à prophana historia transeam ad Sa-
cram, & fastus Mediolanensis Ecclesiae percur-
ram, animadverto eximum aliud Urbi decus ob-
perpetuam in Deum Opt. Max. Antistitum suo-
rum & Populi religionem, quam putam puram-
que servavit adversus Hæresum pestem, sola inter
Occidentales, quæ ab Ario totius Orientis perfido
Seductore per D. Ambrosii doctrinam, & constan-
tiam insigniter triumphavit; unde non immerito
dixerim Romanam Ecclesiam, uti & Imperium
à Mediolanensibus fuisse reparatam, arreptis in
eam causam non semel feliciter armis. Neque
novum deest Christianæ pietatis & Episcopalis
vigilantiae adversus Sectariorum fraudes exem-
plum in D. Carolo, cuius monitis & labore
disci-